

Boehmer Tugr. 1798 nr. 1 d ist hinter } eingeklammert.
1798 nr. 4 b obakk }
" " nr. 15

22

DE
IVDICIO MEDICI FORENSIS
SAEPE DV BIO

DISSERTATIO IN AVGV'RALIS MEDICO - FORENSIS

QVAM

CONSENSV ET AVCTORITATE
GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS

**AD SVMMOS IN MEDICINA
ET CHIRVRGIA HONORES**

IMPETRANDOS

D. XXL IVNII C^ICCXXCVIII.

H. L. Q. C.

PUBLICAE ERVDITORVM DISQVISITIONI SVBMITTET

GOTTLIEB AVTENRIETH
VITEBERGENSIS
MEDICINAE CANDIDATVS.

VITEBERGAE,
LITERIS TZSCHIEDRICHIL.

140
IUDICIO MEDICO FORENSIS

SALVATORE D'ARCO

PIETRO MARIA SARTORIUS

HAZEL

FRANCESCO VITALE

CALIGARIUS MEDICO FORENSIS

APPLICATIO IN MEDICINA

SCIENTIA HONORIS ET

SCIENTIA

FRANCESCO VITALE

HAZEL

COLLEGIUM LITTERARUM

FRANCESCO VITALE

FRANCESCO VITALE

PERILLVSTRI

AC

GENEROSSISSIMO DOMINO

DOMINO

HENRICO FRIDERICO

L. B. DE AVTENRIED

IUDICII CAMERALIS IMPERII GERMANICI

ASSESSORI

DOCTRINA MERITIS IN REM GERMANIAE

CIVILEM ET LITTERATAM

VIRTUTE VERA ANTIQVA FIDE INSIGNI^{QUE} PRUDENTIA

CONSPICVO

AC MAXIMIS MUNIFICENTIAE DOCUMENTIS

AB EO ACCEPTIS

SIBI IMMORTALI

DISSERTATIONEM HANC IN AVGVRALEM

PIA GRATISSIMA^{QUE} MENTE

D. D. D.

A V C T O R

T A N T I Q V E N O M I N I S

GVLTOR OBSTRICTISSIMVS

G OTTLIEB AVTENRIETH.

§. I.

Quemadmodum omne studium medicum, tum ratione ambitus, tum in primis ratione sublimis atque diuini, quem sibi propositum habet finis, reliquis litterarum studiis omnino aequiparandum est; sic nouissima eiusdem pars, Medicina forensis, ceteris aliis partibus, si non palmam praeripit, iisdem tamen certe non cedit.

Est enim cognitionum ex omni Medicina repetitarum complexus, quibus suffultus medicus forensis casus Iuris controveros dilucidat. Hac ergo de causa et ratione tractationis obiectorum, a quacunque alia medicinae parte maxime diuersa, omni iure recentioribus temporibus magis exculta et ad maiorem perfectionis gradum redacta est. Quanquam enim iam in lege Mosaica vestigia huius scientiae reprehenduntur, vbi v.c. legislator de signis virginitatis, leprae, ut morbi interdum simulati loquitur, quamvis quoque GALENV^s a) ad differentiam inter pulmones qui respirarunt, et eos qui nondum respirarunt attendat librumque b) singularem de morbis simulatis, remediisque hos detegendi reliquerit, ipsaeque leges a IVSTINIANO promulgatae ad hanc sententiam spectantes deprehendantur, v. c. de legitimo tempore partus ad praecaendos liberos suppositios; haec omnia tamen nomine modo capitum separatorum atque ex nexus systematico disjectorum

a) De visu partium, Lib. VI. Cap. XXI. Tom. I. pag. 585. der Gesnerischen Ausgabe.

b) Quomodo deprehendere oporteat eos qui aegrotare se fingunt, Tom. I. pag. 237.

GERMANIA

rum merentur, et propria huius scientiae origo Constitutioni criminali Carolinae ab Imperatore Carolo V. anno 1532 editae debetur, in qua nimisimum sanctitatem de lethaliitate vulnerum, de infanticidio, homicidio, abortu et sic porro, ad enucleandam veritatem medicos esse consulendos, quod optimo iure omnino sanctum esse, arbitror. Si enim verum est, et quis est qui dubitet? nullam rem publicam sine legibus earumque iusta administratione consistere posse, salutemque eius summanam, in magna copia sanorum questumque facientium ciuium cerni aliter fieri non potuit, quin etiam legislatores in republica regunda, medicorum egeant auxilio, quandamque auctoritatis partem in illos transferre cogantur, quippe qui corporum naturalium, causarumque quibus illa mutari solent ac possunt cognitione, rerumque salubrium scientia hanc salutem quam maxime confirmare et augere possunt. Haec enim scientia est, quae Iureconsultis in rebus dubiis atque ambiguis lucem accendit, viamque demonstrat; huius disciplinae ope index criminalis flatum causae rite cognoscere, rectumque legibusque consentaneum ferre queat iudicium; haec est, cuius auxilio suffultus defensor, causam delinquentis, visum repertum recte examinando atque diuidicando, rite agere potest.

§. 2.

Simulac enim quaesito circa vitam, sanitatem, mortem, violentiam externam, facultates animi a corporis conditione dependentes, moverunt, medicorum sententia consulenda est, sine qua leges silent. Si causas ciuiles et criminales intueris, saepissime maximam partem a Medicorum consiliiis dependent, iura nativitatis, priuilegia aetatum, haereditatum additiones, ultimae voluntatis validae significations, officiorum gessiones, aut ab illis excusationes iustae, comparitiones in foro et variae eiusmodi quaestionum tricæ plures aliae, immo

inimo Medici saepe solummodo decernunt, an excusandus puniendus sit, qui deliquit. Medicus ergo forensis sapiens, et in disquisitis dubiis quaestioneibus prouidus atque perspicax, facti indolem causarumque nexus exponendo, similitudines veri, falsa specie ludentes discutiendo, mediaque quibus veritas erui possit suggestendo, iudicem ipsasque peragendas causas maximo afficit beneficio.

§. 3.

Quam difficile vero interdum sit, hanc veritatem detegere, quantisque saepe medicus forensis prematur laboribus, desinitam ferre sententiam, nemo forsitan est, qui negare audebit, immo saepe totam quaestioneum dubiam atque incertam relinquere cogitur, quod etiam FORTVNATVS FIDELIS his verbis fatetur: „Sed illud etiam ignorandum non est in nonnullas rerum occasiones medicum nonnunquam incidere, ut cum nihil certi de re proposita constet, dubia omnia incertaque referre nos etiam oporteat. Non semper enim promptae sunt rerum atque effectuum notae, ut propterea in dubia et ancipiiti Medicorum relatione satis iusta esse possit excusatio.“ Qualia autem exinde sequi debent dampna, et quam recta legum administratio in reum puniendo vel insontem absoluendo impeditur, omni tempore Celeberrimi Viri beneficerunt, omnemque adhibuerunt operam, haec dubia imminuere, maioremque in hac sententia proferre certitudinem. A re ergo non plane alienum fore putau, si de progressibus meis qualibuscunque specimen prolatus publicum, pro viribus meis in *causas* inquirerem, quae medicum forensem saepe impediunt, definitam edere sententiam.

In ipsa autem tractanda materia sic versabor, ut antea, in quo Medicus forensis praecipuum consistat officium finiam, deinde vero *causas* quibus impeditus hoc suo officio rite fungi saepe hanc potest perlustrare.

A 2

§. 4.

§. 4.

Officium medici forensis primarium, maximeque omnino arduum in eo cernitur, ut iudici ratione quaestio[n]is propositae habita, *relat[i]o[n]em causas ad effectum et effectus ad causam certitudine quantum fieri potest historica, definiat.* Quo melius vero hoc suo officio rite fungi possit, primo necessarium est, omni diligentia rem indagandam investigare, de eo quod cognouit, clare renuntiare, denique accuratam legibusque scientiae suae consentaneum iudicium addere.

Obiecta vero in quibus medici forensis studium versatur, vel corpora viua sunt, quorum aetatem, sexum, constitutionem tum corporis tum animi, laesiones, morbos et sic porro definire debet, vel corpora mortua sunt, in quibus causa mortis eruenda, vel denique corpora vita carentia, quorum virtutes et nocivae et salutares inuestigandae sunt.

Corporis vero disquisitio ad veritatem eruendam suscep[t]a, nomine *obductionis legalis* insignitur eumque praecipue in finem instituitur, vt causa qua statui hominis naturali iniuria eiusdem actiones perturbans applicata est, eruatur. Haec obductio rursus mox inspectio, quatenus nimurum corpus obducendum adhuc vita gaudet, mox sectio, quatenus vita priuatum est, appellatur. Illa etiam externa haec interna dicitur.

§. 5.

Qquamquam enim sunt, qui in quibusdam corporibus mortuis externam tantum inspectionem iam sufficere contendant, hac satis iam causam mortis inuestigari posse, rati, cum multis aliis affirmare mallem, in omnibus corporibus mortuis legali modo dissecan[dis], sectionem omnium cauitatum fulciri[ndam] esse. Potest enim corpus legaliter obducendum nullum externo intuitu perpesetas violentiae signum prodere, laesione n[on] m[er]ita.

❧

nempe lethali nullum vestigium externum relinquente, sectione tamen detegitur, vita violenter fuisse priuatum. In ventriculo v. c. cibis oppleto ictus minus vehemens lethalem rupturam, externe non cognoscendam, producere potest. Ictu, vel lapsu leuiori in regione ossis sacri lethalem cerebri commotionem interdum produci quis est quem fugiat? qua vero alia ratione, nisi sectione, veritas detegi possit, equidem non video.

Sed in gratiam eius etiam qui delictum commisit, atque ad hunc defendendum sectio totius corporis omniumque cauitatum maxime necessaria videtur. Omnes enim leges, tum diuinae tum humanae, poena capitali, tantum eum affici iubent, qui alium interfecit, non qui aliud in vitae periculum induxit. Vnde vero demonstrari poterit, hoc vitae discrimen adfuisse, omnemque spei vitae conseruandae abfuisse; unde defensor demonstrare poterit, mortuum non a laesione ipsa, sed a longe alia causa simul accidente animam exhalasse, nisi sectio suscipitur, sine qua vix defensio cogitari posse mili videatur. Potest v. c. quidam vomica pulmonum laborans, ictu quodam in capite humi prosterni animamque statim efflare, neque haec violentia vera mortis causa appellari potest. Vehementia enim illa vomica disrumpere potuit, pusque in magna copia effusum omnem respirationem tollit, atque violentiam externam lethalem reddit; qui aneurismate in pectore laborat, a sola rixa, aut leui lucta, qua illud rumpitur, protinus potest extingui, quam iniuriam multi alii certe sine magno incommodo fuissent perpessi, ideoque sectione instituta, et veritate detecta, legum indulgentia his in locis sententiam reddet mitiorem.

§. 6.

— — —

Eo magis ergo si mihi errasse videntur, qui cum LEYSERO c) omniem sectionem legalem vanam superfluamque iudicarunt, contendentes, praecipue eam magis a consuetudine quam a necessitate ortum ducere, lethalitatem vulnerum ex effectu fluere, legesque nullam distinctionem inter mortes a laesione ipsa et illas ab interveniente causa ortas admittere.

At hi autem perpendant, nullam delicti poenam locum habere posse, nisi antea certitudo facti conflet; leges enim causam mortis proximam, non accidentalem respiciunt. Aut enim causa mortis probabilis iam patet, vel adhuc latet. In priori casu nihil aliud evictum est, nisi quod mors longiori, vel breviori temporis spatio laesionem fuerit sequuta, an vero mors ab hac laesione ut causa proxima dependeat, an forsan ab alia simul interveniente, a laesione plane diuersa, non constat. In altero vero casu iam per se patet, causam adhuc eruendam esse. Quomodo autem id quod leges praecipiunt pro mera consuetudine haberi possit, non intelligo. Quanquam enim iure Romano sectio legalis non expresse sancta est, tamen loca quaedam d) hinc et illinc in illo dispersa sine ulteriori indagatione vulnerum vix intelligi possunt. Ius vero Canonicum e) iam distincte sectionem postulat, sicut et lex Salica speculumque Saxonicum. In

c) POLYC. LEYSERI differt. de frustranea cadaveris inspectione, Helmst. 1723.

d) L. II. §. 2. et 3. l. 15. §. 1. 130. §. 4. l. 36. §. 1. l. 51. ad legem Aquileiam. Praecipius vero locus ad rem probandam reperitur l. fin. ad l. Corn. de Sicar. vbi verba sic sonant: „Si in rixa percussus homo perierit, ictus vniuersitusque in hoc collectorum contemplari oportet.

e) C. 12. X. de homicid. et c. 18. X. eodem.



7

ipsa vero Constitutione criminali Carolina et quidem art. 147. et 149.
magna cum praecautione et commendatur et praecepitur. Quid vero
negatam distinctionem attinet, hanc contra ipsas leges LEYSERVs assum-
fit, quae in laesioribus non remotam, sed vnicam proximam causam
scire cupiunt, ipsumque Ius commune, contra quod proprio scripsit,
illum refutant, dum nimis laesiones absolute lethales ab accidenta-
libus disertis verbis dislinguunt. f)

§. 7.

Cum ergo omnis atque vnicus obductionis finis in eo cernatur, ut cer-
titudi delicti quantum fieri potest, eruatur reoque nec lenior nec
atrocior facto, sed legitima imponatur poena, eius necessitas luce clari-
rior hinc mihi patere videtur; nisi enim corpus delicti g) vt vocant
extra omne dubium collocatur, nulla alia via, iustum contra reum
ferendi sententiam iudici aperitur.

§. 8.

f) L. 30. §. 4. ad legem aquiliani.

g) Falso mihi quidam corpus delicti per eum definire videntur, qui vul-
nus fecit, qui potius delinquens vel auctor criminis appellari meretur,
et cuius vis adhibita praecipuum laesioris causam constituit; sed non
de causa tantum, sed potius de effectu eius quae vitam turbavit, et
num ex illa nocua mutatio absolute sequuta sit quaeritur, et saepe sal-
tim ab initio commissi facinoris anchor later. Sic etiam alii quoque
falso instrumentum laedens, hoc nomine insigniunt; quo tamen nihil,
nisi hoc declaratur, hoc nec alio instrumento vulnus factum esse, mi-
nime vero modus, qua nocuit perspicere potest. Melius itaque Cele-
berrimus Bosius in dissert: de corpore delicti medice indagando,
L. 1783. in certitudinem facti posuit, omniumque effectuum ex facto
illo originem repetentium.

§. 8.

Omnia quae ipso obductionis actu inueniuntur notatu atque ad illustrandam rem digna, ab actuario in commentario actorum summatis adnotantur, quod scriptum *renunciatio* sive *relatio* dicitur. Quia ratione autem haec obductio instituta et peracta, quid ea erutum fuerit et quid exinde ex corpore delicti ad dilucidandum casum controuersum secundum fundamenta medica decidendum sit, medicus obducens in *vivo reperto*, iudici a quo requisitus est, copiosius fusiusque renunciat; hinc visum repertum dici posset enumeratio omnium quae in corpore indagando a statu naturali aliena occurrunt.

Talis autem enarratio plana sit, perspicua, atque clara, gaudet logica brevitate, nil deficit neque in formalibus neque in materialibus, quam maxime cum illa ab actuario in ipso obductionis actu composta relatione consentiat et ut uno verbo omnia amplectar, sit sic comparata, ut statum controuersum dilucidando, iudici tutam demonstret viam, iustam, legibusque consentaneam ferendi sententiam. His virtutibus praeditum visum repertum optimo iure bonum rectumque appellari poterit, neque inquam defensori ansam praebebit, illud atque totam obductionem vanam, dubiam, irritamque pronunciandi. Quoniam vero saepe minime in potestate medici deponentis est, tantam in quaestione proposita accendere lucem, tamque securum iudici complanare trahitem in *cansus* nunc inquisitori sumus, quibus ille aut iudicium suum plane tollere aut saltim dubium atque ambiguum reddere cogitur.

§. 9.


Causa sat grauis, qua medici forensis iudicium saepe dubium reddi debeat, in *imbecillitate artis* fundamentum mihi habere videtur, quippe quae

quae non semper indubitatis nititur principiis. Quanquam enim non cum CELSO b) affirmare vellem, medicinam meram esse artem conjecturalem neque ei plerumque, non solum coniectura, sed etiam experientia respondere; quanquam non cum aliis contendere auderem, illam nullo certo niti principio nullaque certitudinem, neque ratione, neque experientia probatam in ea cerni; multa tamen ei adhuc inesse, vel altis adhuc tenebris oboluota, vel dubia et plane incerta, vel saltim tantum probabilia, quicunque in interiores medicinae recessus penetrauerunt, neque rem preeconceptis opinionibus constricti inuestigauerunt, ingenue fateri coguntur. Neque etiam hoc scientiae huic quasi diuinae eiusque egregio fini vñquam opprobrio verti potest. Cum enim omnis cognitionis nostrae fons in experientia et recte inde deducta conclusione consistat, hac imbecillitate cum alia quacunque scientia, quae naturam obiectum habet laborat. Omnia ab experientia dependent, neque illus in Medicina ac Chemia, Mechanica et sic porro propriam veramque essentiam rerum, eorumque modum agendi alia ratione quam sensuum ope cognouit. Nemo forsan inficiabitur Chemicum v. c. et Mechanicum vires atque relationes naturae mortuae pro lubitu atque fine proposito mutare, coniungere, ducre, indeque noua resultata atque phaenomena producere posse; sed nunc quaeras quaeſo Chemicum, in quo essentia Oxygenii, Carbonei consistat; quaeras Mechanicum, de essentia vis grauitatis, cohaesionis, quaeras, qua ratione hi quotidiani effectus fiant, cur hae partes se inuicem attrahant, illae se fugiant, qua ratione coniunctiones et decompositio[n]es partium elementarium fiant; vel nihil respondere vel hypotheses, quam maxime sibi contrarias proferunt.

b) Celsus in praef. ad L.I.

§. 10.

B.



§. 10.

Hanc igitur artis suae imbecillitatem omnium temporum medici celeberrimi bene sentientes omni diligentia adhibita varias excogitarunt opiniones, variasque protulerunt sententias, ad dubia illa atque incerta explicanda, meliusque illustranda, haecque hypothesisum medicarum vera origo, quae quanquam non parvus earum deprehenditur numerus, tamen si recte adhibentur atque aestimantur, i) neque iis plus quam pars est tribuitur, non plane omni utilitate carent. Rem enim nunc adhuc incertam summaque obscuritate laborantem non nisi hypothetica explicatione saltim probabilem redditam, sequenti tempore feliciori obseruatione, attentiorique inuestigatione, probabiliorem reddi, tandemque argumentis maioris momenti, atque ab omni dubitatione liberis confirmari et in veritatem indubitatam abire posse, nemo forsitan negabit, experientiaque, optima cognitionis matre, comprobatum habemus.

Nullo modo autem medico forensi vnuquam condonabitur, si ad quaestione dubiam dilucidandam, hypothetica vtatur explicatione et huic iudicium superstruat. Leges enim non probabiliorem sed certainam indubitatemque desiderant sententiam, et quilibet probus, cui vita atque libertas hominis minime res leui pretii esse videtur, cui tamen simul recta legum edministratio, ad securitatem reipublicae tam necessaria, curae cordique est, ingenue potius limitatas mentis nostrae vires et in his positam artis imbecillitatem fatebitur, iudiciumque suum tam diu suspendet aut saltim dubium pronuntiabit, donec certioribus argumentis ductus, rem ab omni dubitatione atque contradictione liberam reddi pot.


i) Vid. Differt. inaug. CHARITII amici longe aestimatissimi; Vit. 1796. edit. de hypothesis medicis recte aestimandis.

poterit, quam intempestiva superbia impulsus probabilem suam sententiam pro vera venditare, iudicemque in summum inducere periculum, iniustum ferendi sententiam.

§. II.

Exemplis nunc quibusdam demonstrabo quam saepe haec imbecillitas artis iudicium medici dubium reddit.

Varii ex causis interdum quaestio de *virginitate vel praesente vel desperita* moueri potest, cum forsitan puella, quae matrem admissit castitatem integrum adhuc iactaret, vel semina ideo diuortium quaerat, quod maritus officium coniugale non praeslet, aut sub coniugii vel dotis spe a marito se stupratam aiat, aut iuuenis virginem aliquam se deflorasse malitiose iactaret, et quae sunt reliqua obductionem a medico postulantia. Multa quidem virginitatis physicae ut temere dicunt adesse signa, Viris Celeberrimis contenditur, quibus praesentibus virginem adhuc intactam esse demonstrare student; haec omnia vero fallacia, iudiciumque de integra virginitate maxime difficile, immo saepe impossibile esse negotium, facili modo demonstraturus sum. Signa nimurum praecipua ex mente Clarissimum Vitorum sunt, praesentia hymenis, angustia et copiosae rugae vaginæ cum mammis firmis et quasi constrictis, magnitudo color et integritas glandularum myrtiformium, dolor atque effusio sanguinis in primo coitu. Sed neque ex praesentia, neque ex absentia hymenis celebris illius virginitatis sic dicti clausuri ad hanc, vel praesentem, vel amissam certo concludi potest. Non solum enim in virgine quae coitum celebravit, superstes manet, quod aut ob suam interdum firmitatem aut a mare debiliori, parua mentula instruicto destrui non potuit, quin immo experientia teste, feminam saluo hymene grauidam factam esse, relatum legimus;



sed ex altera parte etiam, salua virginitate abesse potest, cum partim propter irregularē partium genitalium structuram plane deficiat, partim ob suam tenuitatem in prima aetate casu fortuito v. c. saltu, vel in ipsa incauta inspectione destrui possit, quod ipsum frenulo in inferiori labiorum vulvae commissura obuio, ab aliis vt infallibile signum assumpto accidere potest. Alterum signum quod ex angustia et copiosis vaginae rugis assumunt, tanti quoque valoris esse nequit, cum momenta cuius dubium statuamus, facile accedere possint. Quam diuersa enim haec angustia assumenda est, ratione aetatis, temperamenti, naturalis dispositionis, quantum praegressi morbi v. c. chlorosis, fluor albus, hanc angustiam mutare possunt? et experientia simul euictum est, tempore fluxus menstrui vaginam semper laxiorem amplioremque inueniri. Quodsi statim absoluto menstruationis negotio talis disquisitio institueretur, facile in errorem duci poterit Physicus; accedit, quod stipticis et longiori a coitu abstinentia haec angustia ad tempus rursus restitui possit. Signum autem ex glandulis myrtiformibus a ZACCHIA, PINAEO, SEVERINO et MAURICEAU tabulis aeneis ex-sculptis depromtum, amissam potius denunciant virginitatem, et secundum MORGAGNI k) nil, nisi reliquiae disrupti hymenis sint. Dolor vero in primo coitu fanguinisque effusio in Mosaicis legibus l) iam asserta, et a multis gentibus vt infallibile signum assumptum, effectus quidem violentiae genitalibus in primo coitu illatae praesentisque angustiae sunt; at, quis non videt? etiam hoc quam maxime pro maiori vel minori membra genitalis qualitate differre, quin etiam artificiorum ope produci posse. Alia signa ex qualitate virinae et ratione
hanc

k) MORGAGNI Aduers. anat. I. pag. 39.

l) MICHAELIS *Maf. Rechrs.* II. 92. 137.


hanc intendi, ex colli peripheria, colore papillarum mammarium
lubenter relinqu, cum statim ut vana atque ambigua apparent.

§. 12.

De grauiditate et *dissimilata* et *similata* renunciare, rem sane arduam
multisque difficultatibus praeditam fere omnes uno ore concedunt.
Quamvis enim symptomata, secundum coitum plerunque sequentia,
mutationesque et in utero et in reliquo corpore obviae, satis clara conceptionis
signa nobis praebere videantur; Celeberrimos tamen Viros
symptomatibus aliorum maxime complicatorum morborum, summos
in errores ductos ^{II)} experientia comprobatum habemus. Quoties
non mola, vel polypus uteri vel hydrops, faccatus uteri, et ovarii, veram
mentiti sunt grauiditatem? Eo magis ergo medico ignoscendum erit
si primis grauiditatis mensibus nihil certi definire audet, suumque iudicium ad opportunius tempus potius differt. Omnia enim signa, quae
durante grauiditate colligi possunt, vel ex statu feminae externo, ex
functionibus nempe naturalibus, vel ex corpore ipso et praesertim ex
mutato illius abdome, vel denique ab uteri exploratione desumuntur;
sed ante dimidium vel saltim ante tertium mensis grauiditatis
omnia eius signa incerta esse, leui opera demonstrari potest. ^{m)} Nau-
sea enim, vomitus, appetitus irregularis, languor, oculi retracti liuidi,
atque circa eos circulus flavescentes, dentium dolor, saliuæ copiosa ex-
cretio,

II) STARKS *Archiv für die Geburshilfe*, 1. Bd. n. I. et PYLS *Reperz.* 1. Bd.
n. Abschn. n. I.

m) Leges romanae praecipiunt non solum ut seminaram venter, si praegnantes feiant inspiciatur, sed illae ipsae etiam usque ad partum custodiuntur. Vid. tot. Tit. D. de ventre inspicioendo, custodiendoque partu.



cretio, et quae sunt alia signa communia, eadem ratione quoque ab alia morboſa, neruos irritante produci poſſunt, atque plerumque etiam in iis, qui ſuppreſſis laborant catameniis, occurruunt, in quibus ob ſympathiam magnam, quae vterum atque mamas intercedit, hae tument, atque compreſſae, humorem laeti ſimilem prodiunt. Defectus vero catameniorum neutiquam ut ſignum grauiditatis certum aſſum̄i poſteſt, cum a multis alia cauſis ſuppremi poſſint, quia immo in quibusdam grauidis per primos adhuc menses, in quibusdam per totam grauiditatem fluere, atque adeo lactantem ipſam, non menstruatam concipere poſſe, experientia docet. Abdominis porro complanatio ab vtero intra peluim abscondito, eiusque orificii in vaginam deſcensus ab aliis aſſumitus pari ratione fallere poſſunt, cum ſtatus cachecticus, fibra-rum laxitatem inducens, hydrops, ſtatus pondere ſuo vterum premen-tes, vaginæ et vteri prolapsus, ſaepe hanc mutationem vteri eiusque orificii efficiant grauiditatemque ſimulent. Ipuſum illud recentioribus temporibus praecipue a STEINIO ut certum pronunciatum ſignum, quod nimurum vteri orificium antea oblongum, poſt conceptionem magis rotundius fiat, tale reuera non eſt, cum etiam in defiſcentibus menstruis illud ſaepe mollius rotundiusque appareat et ſaltim in primi-paris tantum obſeruari poſteſt.

§. 13.

In vulneratis adhuc viuentibus medicus ſaepe ad gradum lethaliſtis quae vi externae ſubſequitur definiendum requiriſt, quae res per fe-iam ardua atque diſſicilis, maiores creat molestias, ſi de laeſionibus ca-pitis quaeritur. Quanquam enim recentioribus temporibus ſtudio praecipue SCHMIDKERI, RICHTERI, POTTII, METZGERI doctriна de laeſionibus capitū magis exulta, earumque traclatio praefertim metho-do

do Schmuckeriana ad maiorem perfectionis gradum ducta fuit, *harum tamen prognostis semper fere dubia atque ambigua erit*, cum fere quilibet casus, singularibus et ab aliis plane diuersis, diagnosis aequa ac prognostis difficultorem reddentibus, symptomatis slipatus sit, et in primis laesiones, quae externas capitis partes, nullam violentiam perpeccas nec minimum contusionis vestigium prodentes, afficiunt, maxime lethales euadant.ⁿ⁾ Omnia enim in his laesionibus a maiori vel minori cerebri commotione, eamque plerumque concomitante extravasatione, ab inflammatione atque suppuratione cerebri, eiusque membranarum non certo praesagienda, et ab initio dignoscenda, dependent, immo experientia comprobatum legimus, tales laesiones saepe post unum alterumque mensem, immo annos demum lethalem habuisse euentum.^{o)} Omnia enim symptomata commotionem et extravasationem concomitantia, nisi maiora disrupta sunt vasa, ab initio, omnem interdum ingenii aciem elidunt, aut tarde subsequuntur, tandemque sensim aucta, omne artis auxilium haud raro irritum reddunt. Medicus ergo de harum laesionum lethalitate, vel exitu renuncians tam diu iudicium suum suspendere, aut saltim dubium reddere cogitur, donec pluribus atque grauioribus indiciis collectis, de earum effectu certior redditus, definitum quoque proferre queat iudicium.

§. 14.

ⁿ⁾ BÜTTNER, von der Tödlichkeit der Wunden, Caf. XII. et XIV. ZITTMANN med. for. Cent. V. Caf. 33. NÜRNBERGERI Prolus. de Chirurgia recentiorum absolutam vulnerum lethalitatem capitis praecipue non infringente, pag. VIII. Exempla alapae lethalis apud BÜTTNER. lib. cit. in veniuntur Obs. 17. et apud ZITTMANNVM lib. cit. Cent. III. Caf. 36.

^{o)} BUCHOLZ. Beiträge zur gerichtl. Arzneyw. 4ter Tb. pag. 50. POHLIVS in progr. de periculo contus. capit. PYLS Aufsätze, 4ter Bd. n. 19.

Cum hac *imbecillitate artis* alia coniuncta est causa, vel ortum inde ducit, *ipse dissensus* nimirum *artis peritorum*. In casu enim paullo difficultiori vel tenebris adhuc inuoluto iudicando, pro varia qua rem considerant ratione, diuerso ingenii acumine, variam ferunt sententiam, notiones, diuisiones et distinctiones toto coelo saepe inter se diversas edunt et plus ipsi arti nocent, quam prouident. Hoc enim dissensu, defensoribus magnum, omne visum repertum dubium vanumque praedicandi, aperiunt campum. Cum enim hi, medicos forenses impugnando, omnia plerumque, in horum scriptis colligere soleant, quae ad causam rei defendendam vlo modo prouesse videntur, cum summa artem in reo a poena promerita ordinaria quoconque nomine liberando ponant; longe facilius finem hunc assequuntur, si celeberrimorum virorum dissensum de re proposita demonstrare, virosque fide dignos contrariam sententiam fouere, obiicere possunt. Quoties rerum defensores absolutam lethalitatem culusdam vulneris v. c. capititis, quorundam artis peritorum auctoritate suffulti, solummodo ob omissionem trepanationem in dubium vocarunt, eamque tunc mere accidentalem habent, p) cum ali satis superque demonstrarint in multis casibus solam trepanationem minime indicari, quia saepe hac nihil effici multo minus causa mortis tolli possit.

Qui dissensus vero eruendo ita contrarius, in nullo fere medicinae forensis capite maior reprehenditur, quam in eo, quo de *definienda lethalitate vulnerum* agitur. Sic ZACCHIAS q) et WELSCHIVS r) vulnera

p) NÜRNBERGER. loc. cit. pag. XII.

q) Quaest. med. leg. L. V. Tit. II. Quaest. 2.


r) Rat. vuln. leth. iudic. Cap. 2.

vulnera tantum absolute et ut plurimum lethalia assumunt, BOHNIVS^{s)}
 e contrario per se et per accidens lethala, prioraque iterum in absolute
 et ut plurimum lethalia diuidit, quocum etiam consentire videntur,
 TEICHMAYERVS, i) DE HALLER, ii) HEBENSTREIT, v) VAN SWIETEN,^{w)} BüTTNER, x) BRENDEL, y) PLENK, z) aliquie. Ab horum
 vero virorum sententia quam maxime declinant, ALBERTI, a) MAV-
 CHART, b) WERNER, c) LUDWIG, d) BAVMER, e) nullam aliam distinc-
 tionem admittentes, nisi lethalitatis absolute et per accidens; ad
 priorem classem vulnera per se et ut plurimum lethalia numerant.
 Cum his ratione distinctionis in absolutam et accidentalem, ESCHEN-
 BACH, f) RVEF, g) BOERNER, h) MEIER, i) quidem conueniunt, sed
 quam maxime rursus discordant, immo contrarium docent, dum vul-

nera

- s) De renunciat. vuln. Sect. I. pag. 28.
- t) Inst. med. leg. Cap. XXII. Quaeest. 2.
- u) Vorlesungen über die gerisch. Arzneywiss. Bd. 2. Cap. 22.
- v) Anthropol. for. Sect. II. Membr. II. Cap. II.
- w) Comment. in BOER. Aph. T. I. §. 150.
- x) Aufricht. Unterricht von der Tödlichkeit der Wunden, §. VI. p. 3. et sqq.
- y) Med. leg. Cap. VI.
- z) Anfangsgründe etc. pag. 28.
- a) Iurisprud. med. C. XIV. §. V.
- b) Dissert. de lethal. per accidens, Tübing. 1750.
- c) Diss. qua evincitur med. forens. etc.
- d) Instit. med. for. P. II. Tr. II. Cap. II. Sect. I.
- e) Med. for. Cap. VIII.
- f) Med. leg. Cap. §. 46.
- g) Unterricht von Criminalfällen, Abtheil. 4. S. 87.
- h) Instit. med. leg. §. 164 et sqq.
- i) BRENDEL. Med. leg. ed. MEIER. p. 32 et 160.

C



nera per se et ut plurimum lethalia potius ad accidentalia ducunt. Aliam rursus viam ingressi sunt BRINCKMANN,^{k)} STOLL^{l)} et PLOUGQUETT,^{ll)} qui quidem etiam duas tantum classes, absolutae et accidentalis lethalitatis assumunt, in priori tamen iterum subdivisionem admittunt, nimisrum individualiter absolutae lethalitatis.

Cum ergo in hac re grauissima, auctores tam vehementer inter se dissentiant, facili quoque negotio visum repertum optimum non sine aliqua veritatis specie impugnari poterit; quod enim vulnus alii absolute lethale, alii rursus tantum per accidens pronunciant, hinc difficultates multis divisionibus augeri magis, quam tolli videntur. Optime ergo medici forenses in hac re dubia admodum versati videntur, qui ad nullius auctoritatem resipientes, solummodo disertis verbis, argumentisque certis suffulti renunciant, an laesio praefens curari potuisse nec ne.^{m)} In eo enim omnis rei cardo vertitur, cum vulnus absolute lethale, omnem medelam excludat, mortemque ut unicum agnoscat effectum, per accidens vero lethale curationem quidem admittat, sed ab alia interueniente causa, qua immediatus nexus, inter mortem et laesionem demonstrari nequit, haec curatio impeditur, morsque inducitur. Ad has ergo duas classes omnes laesiones nisi

for

k) Anweisung für Aerzte und Wundärzte etc. Abschn. III.

l) Rat. med. Tom. VI. Sec. IV.

ll) Comment. med. in Procell. Crim. Sec. I. Cap. III.

m) Mecum consentire videtur TEICHMAYERVS instit. med. leg. vel for. C. XXII. quaest. 3 etc. „In renunciatione non adeo attendendum, an vulnus hujus vel illius organi in genere ab auctoribus lethale dicatur; sed potius examinandum, an hoc praesens et individualiter vulnus de quo quaestio est, et de quo iudicium facere debet medicus, sit lethale, nec ne?“

lor recte reduci possunt, lethalitasque individualiter absoluta a PLOUC-
QUETTO producta, pro varia conditione, mox ad primam, mox ad
alteram classem, mihi pertinere videtur. Multum enim abest, ut hac
subdiuisione maiorem accenderit lucem, securioremque in definienda
certitudine facti complanauerit viam, immo potius obducentes in
maiores induxit difficultates. Cum enim secundum eius senten-
tiamⁿ⁾ delinquens, praeternaturalem individui quod laesit conditio-
nem, bene sciens, nullo modo excusari, sed omnino poena ordinaria
affici debeat, ante omnia quoque definiendum mihi esse videtur, an
reus hoc sciuerit, vel scire potuerit, quomodo autem hoc medicus fo-
rensis eruire poterit, euidem non perspicio, neque PLOUCQUETTVS,
qua ratione hoc optime fieri possit, protulit momenta,

§. 15.


Saepe quoque *res ipsa indaganda* in causa esse potest, cur visum re-
pertum mancum dubiumque evadere debeat, dum nempe sensus no-
stris non afficit. Quaecunque enim explicamus, cognoscenda a nobis
sunt ante omnia, alias nullas proferre possumus notiones; nihil enim
in intellectu, quod non antea fuerit in sensu.

Quernadmodum in medicina plura occurunt, de quorum praes-
entia nullo modo dubitare debemus, a natura tamen ita recondita
sunt, ut, vel maxima adhibita opera, ad afficiendos sensus minime ido-
nea reddantur, sic etiam Physico interdum quaestiones de rebus pro-
ponuntur, quas, licet vere adesse, negari non potest, ad eas tamen ex-
plicandas, materiam aptam haud praebendo, omne interdum ingenii

C 2

acumen

n) PLOUCQUETT *Abhandlung über die gewaltsamen Todesarten*, Tübingen
1788. pag. 79.



acumen eludent. Sic maritus a coniuge *impotentiae accusatus*, qui sub inspectione ipsa ne minimum in genitalibus, quo impotens nominari possit, ostendit vitium; serotum eius non flaccidum, sed rugosum, atque retractum, testiculi in eo obuii, iuxta magnitudine et conditione gaudent, penis naturali modo constructus, praeputio, quod tamen retrahi potest, tectus, neque Hypospadieus, sed glans penis in anteriori et media parte perforatus, ipsaeque erectiones adesse possunt, cognitumque, ipsum cum alia coniuge, non solum vere concubuisse, sed etiam illam grauidam reddidisse, et tamen ratione huius coniugis, vera impotentia, a Physico non detegenda, laborare potest. Causa enim interne latere, vel a singulari quodam taedio aliquo thori mysterio, obducentem medicum plane fugiente, dependere potest. In hoc casu ergo, certi quod atque definiti nullo modo pronuntiare licebit. Talia frigiditatis maris, ut auctores vocant, exempla apud PYLIUM o) recentissima legimus, et ego ipse maritum nosco, qui a prima vxore ob impotentiam, iudicio ecclesiastico separatus, cum altera coniuge iterum coniunctus, non solum in felicissimo viuit matrimonio, sed etiam plures iam procreauit liberos sanos vegetosque.

An reus tempore, quo delictum commisit, mentis suae compos fuerit,
illudque ergo ei reuera imputandum sit, *an in eius arbitrio non possum fuisse*, vt euitari possit, quippe qui sua mente vii non poterat, neque rerum causas inspicere, earumque effectum intelligere, atque dijudicare, saepe in foro quaeritur, et medicis ad dijudicandum propounitur; praesertim, cum reorum defensores hoc momento, ad reum, si aliter fieri non potest, excusandum, vel saltim a poena ordinaria liberandum, vtuntur. Cum vero omnis perscrutatio status mentis in homi-

o) PYLS Aufsätze und Beobacht. iste Samml. pag. 224.

homine, ad grauissima, difficillimaque Physici negotia iure meritoque numeretur, quippe qui iam in statu naturali, arctissima illa, quae inter animam et corpus intercedit coniunctione, nititur, nec a nobis cognosci potest, cum sensus nostros fugiat, multo minus hoc in statu praeternaturali a nobis fieri poterit. Animaduertimus quidem animam in corpus agere, et vice versa corpus ab illa affici, causam autem modumque, qua haec sicut, explicare in nullius forsitan erit potestate. Interim quidem non est negandum, tum ex contemplatione corporis, tum ex mentis functionibus, signa desumi posse, quibus, num quis sanæ mentis sit, nec ne, probabiliter cuicunque potest; cardo vero rei summaque difficultas in eo cernitur, vt definiamus, an delinquens tempore perpetrati delicti, sanæ mentis fuerit, nec ne. Habent enim hi mentis morbi hoc cum aliis corporis morborum generibus commune, vt periodos nonnunquam tempusque intercalare admittant, quod lucidum appellant interuallum, quo tempore si facinus commiserit, neutquam excusationem locum habere, immo vere imputandum, atque eum poena ordinaria afficiendum esse, leges iubent. p) Lucido autem interuallo delictum commissum esse, tunc plerumque statuitur, si in delicto ipso nullus cum idea fixa reperiri possit nexus; ad quod vero, neque affirmando, neque negando responderi posse, certo mihi persuasum habeo. Quis enim quæso, certitudine quadam concludere auderet: si secundum ideas sani hominis, nullus nexus inter delictum commissum et ideam fixam insani reperitur, nullus quoque nexus aderit in homine, qui quidem cacteroquin sanæ mentis est, tamen quoad vnam ideam delirat. Id circa enim, quia mens non tota sana est, alius homo sanus, a statu animi idearumque combinatione delirantis, nunquam certum ferre poterit iudicium; hinc certe melius mihi videtur, in re tam dubia, aut iudicium plane suspendere, aut saltim in mitiore abire sententiam.

p) BERGERT Electa juris criminalis, pag. 5.

◆ ◆ ◆ ◆ ◆

Sectionis legalis obiectum esse potest *neonatus vel infans suffocatus*, in quo praeter suffocationis signa consueta, nimur pulmones et cor, praeципue eius auricula et ventriculus dexter, sicut et vasa encephali, sanguine oppleta, et quae sunt reliqua, nullum violentiae externae perpetuae adeat vestigium, et quaestio mouetur, an infans matris culpa, vel ea infacia mortuus sit. Sectione accuratissime instituta, omnibusque rite perpenfis, iudicium medici tamen mancum ambiguumque erit. Quis eum certo poterit desinire, an infans matre dormiente, ergo ea infacia, forsitan lactante, a mammis v. c. in faciem deciderit, et cum aëris, neque per os, neque per narres pulmones intrare potuerit, suffocatus fuerit, an forsitan potius mater callida ipsum hunc situm infanti dederit, vel eius os integumentis crassioribus, omnemque respirationem impedientibus obtegerit, sine, ut externo intentu aliud violentiae vestigium adsit.

De *veneficio vero peracto*, vel *imputato renunciare*, rem esse difficillimam, quilibet concedet, cum iam ipsa notio veneni maxime aequivoca sit. Plerunque enim per corpus naturale definiunt, quod iam in minima dosi, deleterios in corpore producit effectus; sed nonne etiam pleraque horum sic dictorum venenorum ut medicamenta optima adhibentur maximeque salutares in corpus nostrum edunt effectum, sic ut fere affirmare possumus, minime naturam sed dosin venenum facere, nullumque dare venenum absolutum, quod non interdum consuetudine innocuum, aut mixtione et dosi salubre fieri possit, variasque sublantias tantum Idiosynasria nocivias evadere. Mutationes ipsae, in mortuo obviae, non certo demonstrant, eum veneno necatum esse, cum ipsis humores corporis nostri, brevi tempore saepe tantam acrimoniam assumere possint, ut venenis similes edant effectus, ut in Cholera interdum obseruatur. Sic HEBENSTREIT q) ait: „*Possunt sane in ipsis hominibus ex malo humorum habitu, quam Cachexiam vocant, subito nasci venena; quam saepe febris, subito lethifera, ab aliquo pathemate, maxime ab ira, accenditur!*“ et paulo inferius in eadem pagina: „*Possunt omnia in corpore venena nasci, atque ipsis humores vitales vasa sua defruendi saepe acquirunt;*“ immo FR. HOFFMANN^{r)} adeo contendit,

ma-

q) lib. cit. pag. 523. r) Consult. med. T. II. D. V. C. VI.

maculas coloratas, pilorum desfluuium, inflammationem ventriculi humorumque putredinem fortiorum, a singulari illorum corruptione et acrimonia oriri posse. Nisi ergo antea iam, mortuum venenum accipisse, cuiuscum est, vel, quod primarium est, nisi ipsum in ventriculo venenum adhuc reperiatur, nunquam certitudine, de beneficio medicus obducens renuntiare poterit. Cum autem saepe nihil inueniri possit in ventriculo, partim, ob nimis parvam assumti veneni quantitatem, dum iam nonnulla grana v. c. arsenici ad necandum sufficiant, partim, quia in fluida forme assumunt et cum reliquis ventriculi contentis intime mixtum fuerit, partim vomit, vel naturali, vel arte facto, omnia iam eiecta fuerint; primarum viarum conditio, possibiliter tantum et probabilitatem, nunquam vero certitudinem beneficii testantur. Neque minori Physicus laborat difficultate, si definiendum ei imponitur, quodnam venenum applicatum fuerit, cum fere, quodlibet singularia sibiique propria prodat symptomata, multorumque venorum effectus adhuc fere plane incogniti sint.

§. 16.

Varia momenta, quae circumstant atque fortuito accidunt Physico interdum in renunciando obicem fortiorum, nec facile remouendum opponunt. Sic v. c. si incuria obstetricis, aut adstantium, prior ex gemellis signo non notatus est, in ambiguo sane res ponitur, dubiumque erit, cui ius primogeniturae competit; cum nec roburis, aut formae praestantia, nec ingenii excellentia alterutrius sufficiens ad enucleandam veritatem esse possit argumentum, nam debilior, et ratione formae, tum corporis, tum ingenii, multo minor, eadem ratione prior ex vagina excludi poterat. Multo maior autem esset difficultas decidendi, si, ut gemelli sectione caesarea in lucem edendi essent, acciderit.

Obductione saepe nimium protracta, si tempus, quo corpus delicti ad obductionem aptum fuerat, praeterlapsum est, multa oriuntur incommoda, medico forensi minime imputanda. Fieri interdum potest, vt parentes quibus natura liberos negavit, arte sibi prolem comparent, infantem supponunt, ne bona ad alios transeant et praeципue hoc fieri ubi, ad feundum retinendum, filius necessario requiritur, experien-

perientia docet. Ad sunt nunc quidem puerperii signa, nimirum genitalia externa tumida, mollia, relaxata, atque vagina extensa, os vteri aequa tumidum et molle, mamuae lacte turgentes, lochiorumque fluxus, desumuntur porro signa ab infante, maxime ex eius umbilico; attamen ex omnibus his signis rite quoque perpensis nil certi demonstrari poterit, nisi obductio saltim primis decem diebus instituitur, post longius enim temporis spatium, forsitan post menses plures, omnis obductio irrita, omneque iudicium dubium mancunque erit. Absentia enim lochiorum atque lactis in mammis ab alia causa dependere potest, sicut et rugositas ventris atque laxitas genitalium, neque necessario sequitur, ut similitudo quedam infantis cum patre, vel matre adsit, quoniam linea menta oris in neonatis nondum sic euoluta sunt, ut vera similitudo cognosci possit.

Putredo quoque non leue eruendae veritati obicit impedimentum, immo saepe omnem, veritatem inueniendi, surripit spem. Putredine enim tota forma partium mutatur, dubiumque plerunque manebit, an destruacio partium violentia persepsae, an putridae solutioni adscribenda sit; et praecipue quoque corpus putredine penitus corruptum, nullo modo obductionis obiectum esse potest, dum sanitati obducentis maxima inde stru possunt incommoda, meritoque tunc obductio intermitte debet; hinc recte mihi TeICHMAYERVS monere videtur: „Putredo mutat formam cadaveris et laesionem, in tali sensu medicus distinguere non potest, nec medicus eiusmodi corpus cum dispendio sanitatis inspicere tenetur, tandemque talis inspectio nullius est usus.“

§. 17.

Iam vero his omnibus expositis apparere mihi videtur, Physicum non semper certam proferre posse sententiam, neque ei hoc imputandum, cum causae, quae veritati eruendae invincibile obiciunt impedimentum, saepe adstinet. Copiosius quidem hoc argumentum exponere potuisse, si fini proposito accommodatus duxisset, beneulos vero expecto lectores, quos, ut ea, quae proposui, aequo animo suscipiant, omni, qua par est, humanitate rogo.

s) lib. cit. Cap. XX. Quaest. X. p. 187.

Wittenberg, Dissy, 1796-98

vol 18

f



S6.





DE
IVDICIO MEDICI FORENSIS
SAEPE DV BIO

DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICO - FORENSIS

QVAM
CONSENSV ET AVCTORITATE
GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS

AD SVMMOS IN MEDICINA
ET CHIRVRGIA HONORES

IMPETRANDOS

D. XXI. IVNII CLXXXCVIII

H. L. Q. C

PUBLICAE ERUDITORVM DISQVISITIONI SVBMITTET

GOTTLIEB AVTENRIETH
VITEBERGENSIS
MEDICINAE CANDIDATVS.

VITEBERGAE,
LITERIS TZSCHIEDRICHIL